



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ**

**Sucquet, Antoine**

**Antverpiae, 1630**

Recollectio menstrua

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

*Recollectio menstrua coram Deo & Christo Iesu & Sanctis facienda, velut ultima foret, idq; ultimo die mensis.*

**C**ONSIDERA 1. quem mense superiore profectum <sup>Vide ut te geris circa Deum.</sup> facere debueris tanto amore Dei & beneficiis N. præventus. & feceris, temporis, & mediorum habitâ ratione, & quid ex iis superfit, ac 1. vide uti te gesseris circa Deum, quomodo eum deberes semper habere & revereri præsentem, & an nunc habeas magis in hâc & illâ occasione, recreatione, & omni conversatione & subitâ occupatione. Contritionem excita & propone emendationem. Vide 2. ut te habeas in sacro, in orationibus, & piis exercitiis devotionis. An nunc melius. 3. Quomodo in profectus desiderio & fervore, in resignatione & maximè patientiâ profeceris amore ejus qui immittit adversa æquanimiter ferendo. O IESV, &c. ut infra pag. 1062.

Considera 2. Quomodo circa Superiores te ha- <sup>2. Circa Superiores.</sup> beas, an iis præstes quæ debes, primò amorem & honorem. 2. promptam in iis Deum videndo, sine repugnantia, excusationibus, obedientiam. 3. Resignationem ad omnia, & an ea sis comparatione animi ut baculus velis esse, ut nihil velis, nisi quod illi, utpote Vicarii Dei. O IESV, ut inf. pag. 1062.

Considera 3. circa proximum quomodo verferis, <sup>3. Circa proximum.</sup> & maximè pauperem & defectuosum, & tibi adversantem N an eum diligas sincero & dulci corde, exterius vultu & signo id demonstrando: & an amicabiliter omnes alloquaris, consolers, & eis compatiaris, & opera charitatis, quæ potes, ut Christo IESV etiam ultro offeras, & colloquio pio proximum promoveas. 3. an bene de iis ubique, nunquam malè loquaris ut aranea, sed apud alios excusando, & bona ilorum laudes, & imiteris mellificas apes.

4. Circa  
subditos.

4. Quomodo te habeas circa familiam, subditos,  
1. in spiritualibus eis providendo, & animo ægros cu-  
rando. (Eorum catalogum, si ita res postulet, habe ante  
te, nam de iis redditurus es rationem, etiam singulis)  
2. curare etiam debes temporalia, eisque prospicere,  
maximè ægris. 3. Impedimenta salutis remove, ut  
sunt occasio, focii, libri, imagines non probæ, maximè  
tamen otium, tempusque iis distribuere.

5. Circa  
seipsum

5. Inspice teipsum, & 1. an institutum tuum & re-  
gulas serves, deinde an ædifices alios in exterioribus,  
modesto vultu, verbis, vestitu, conversatione. An in  
eâ sis humilis, amabilis, & talis uti esse debes coram  
Deo, ut scilicet, ejus gloriam spectare & ubique pro-  
curare queas. 2. vide quomodo in interioribus pas-  
sionibus, tentationibus & nominatim in examine  
particulari profeceris, & maximè in ordinatâ & habi-  
tuatâ vitâ, & constantiâ & humilitate sincera. 3. in  
corporis curâ quâ utaris temperantiâ in victu & vesti-  
tu, habitatione & ornatu, ludo, studio, seu exercitio,  
& rerum seu bonorum quibus uteris, habitâ ratione  
status tui, id est hominis peregrini super terram. Anno-  
ta propofita.

E X E R C I T I V M.

Anni decē  
faciunt  
mēses 120.  
septimanas  
520. dies  
3652. horas  
87640.  
**O** JESV, Creator & Redemptor & finis meus, tibi credo, &  
in te spero, & toto corde te diligo, & vehementer doleo ex  
amore tui quod offenderim te. Ecce tot anni lapsi sunt N. etatis  
mea, & tot menses N. tot dies N. tot hora N. Quot supersunt  
anni, menses, dies, hora? Tu scis, quid ex præteritis jam superest,  
aut hinc auferrem, si jam vocarer ut illi, noti mei N. Vides certè  
temporis & gratiarum omnium stricta reddenda ratio erit, &  
quomodo potero vel unius hora? Huius verò temporis vel ho-  
ram unam si sanctus aut damnatus vel purgandus haberet, quo-  
modo eâ uteretur? Video ut Sancti in brevi explerint tempora  
multa, & in felici aternitate jam non meminerint pressura.  
Dam-

Damnatorum bona & vita transferunt velut umbra & in aeternitate dirè illi cruciantur. Vtrum jam deinceps eligam? utrum alteri suadeam? novine finem creationis mee? an nunc propior illi sum? nõne uti vivo, sic certò moriar? & verò sic ut vivo vixisse me optarem? Ecce sic per gratiam tuam, sic ex amore tui & tot beneficiis, ex his N. nominatim preventus ambulabo coram te, & potius millies moriar quàm te vel venialiter offendam, quàm non diligam te.

Ecce te in Superioribus, sic audiam N. sic proximũ N. tuã gratiã diligam & illi præstabo quod tibi. Ecce, Domine mi, gratiã tuã curiositatem & superbiam, passionem amoris, odii, & timoris, iræ & tristitia refranabo &c. Neque ultra serviam illis, Sed sic tuã gratiã eas moderabor N. & modestiã ac patientiã omnibus præire conabor, & maximè charitate, quia sum discipulus tuus bone JESV, & filius tuus idq; verbo, opere & veritate; sic autem actiones meas dirigam, sic adversa tolerabo. Doleo vehementer de omnibus defectibus ex amore tui, & vota N. ac desideria N. mea renovo. Credo tibi, & in te spero, & toto corde te diligo. Amen.

Adde hæc in fine tolius Recollectionis. 2. Cor. 12. Ioan. 13.

1. Joan. 3.

Singulis hebdomadis habes caput de sui renovatione lib. 3. cap. 5.

Quid singulis hebdomadis.

Singulis diebus mane semitam viæ, lib. 1. c. 13. p. 149.

Quid singulis diebus.

## C A P V T XXI.

### De statu Matrimonii.

Quæ cap. superiore habes omnibus ad vitam piè instituendam sunt accommodata. Ne verò quid desideres in hoc genere, ecce tibi propria exercitia cuique statui. His Documenta aliqua singularia subnecto, & his de vitã æternã, ad quam ut nos perducatur clementissimus JESVS, cum humillimè rogo.

### Meditatio de Statu Matrimonij.

PRÆLVDIVM I. Constitue te coram Domino, & deinde roga, ut largiatur gratiam ad ritè obeundum munus tuum.

X x x 3

PvN-